

PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE

IVLIAE CAROLINAE

FVNVS

NOBILISSIMI ET ORNATISSIMI

IVVENIS

IO. PHILIPPI CAROLI
CONRADI

FRANCISCI CAROLI F.

LITERARVM HVMANIORVM CVLTORIS

MAXIMAE SPEI

PRAEMATVRA MORTE EXINCTI

A. C. MDCCCLII. D. VIII. FEBRVARI

MEDIA NOCTE SINE POMPA

TVMVLO INFERENDVM

INDICANT

INTERPRETE

FRANCISCO DOMINICO HAEBERLIN

VLMANO

PHILOS. ET IVRIVM DOCTORE

HISTOR. PROF. PVBL. ORD.

HELMSTADII

TYPIS SCHNORRIANIS.





opiosus est & elegans, cum in omni
 sermone M. TULLIUS CICERO, tum
 vero in eo, quem in *Tusculanis* suis
Quaestionibus, de *contemnenda morte*,
 instituit. Tam egregio nimirum dicen-
 di & convincendi genere vitur, ut vl-
 timum fatum, quod rerum ceteroquin
 omnium terribilissimum ipsi ARISTO-
 TELI dicitur, exoptandum magis, quam metuendum
 esse videatur. Ille namque *eloquentissimus Consul Roma-
 nus*, in laudatis *Quaestion. Tusculan. L. I. cap. XXIX*,
 multis & grauissimis rationibus, ex PLATONE maxime
 petitis, euincit, animum nostrum a fati legibus immu-
 nem esse. En *Eius verba: in animi - - - cognitione dubi-
 tare non possumus, nisi plane in Physicis (metaphysicis, hodie*

die nonnulli dicerent,) *plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec discerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrabi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptus earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur.*

Hoc ipsum argumentum nostri quoque Philosophi, quotquot animam ab interitu, cui corpus obnoxium est, vindicarunt, cum fructu adhibent. Id solummodo moment, adhuc maius quidpiam requiri ad immortalitatem, nimirum continuationem quandam facultatis cogitandi, quae vero ab animo, incredibili & diuina vi praedito, quoad iste superstes fuerit, abesse nequit.

Atque hanc, quam ex CICERONE pro immortalitate humanae mentis attulimus, rationem, inter multas alias, quas RADVLPHVS CVDWORTHVS, in *System. intellect.* L. I. c. 1. §. 22. p. 26. *sqq.*, recenset, principem suo iure locum occupare, vt plurimis nunc doceamus, necesse non est. Potius videamus, quid exinde l. c. collegerit CICERO. Hoc scilicet: *si ne intereunt quidem animi, haud quidquam in morte mali est.* Nec mortem, quam immortalitas consequatur, lugendam esse, censet. Quare hic ipse *eloquentiae Romanae Parens*, in *de amicitia*, c. 4., SOCRATIS illa laudat, qui *animos hominum diuinos esse, semper dicebat, iisque, cum e corpore excessissent, reditum in coelum patere, optimoque & iustissimo cuique expeditissimum.*

Haec si vera sunt, vt omnino sunt verissima, gratulandum potius erit his, qui quam citissime ex his terrenis, ac malorum omnium sedibus ad beatarum illud concilium

v
cilium animarum euocantur, atque ea quidem aetate, quae maxime a contagione scelerum immunis & pura est seruata. Neque dolebimus eorum vicem, quibus spes omnis & copia, huius vitae commodis fruendi, adempta, adeoque occasio, extento viuendi aeuo, quo dignissimi sane iudicabantur, praemature fato est negata; siquidem breue aetatis tempus ad bene tamen honesteque viuendum, satis longum est.

Atque hisce quidem meditationibus dolorem temperari vellemus, quem inopinatus, isque praematurus ex hac miseriarum valle discessus *eximii Iuuenis*, IOHANNIS PHILIPPI CAROLI CONRADI, optimo cuique his diebus attulit; quamuis, vt verius dicam, non tam his cogitatis dolor emollitur, quam diuinis potius illis solatijs atque rationibus, quae nobis in diuinis paginis propinquantur. *Eum* namque non modo, qua principem sui partem, viuere adhuc, scimus omnes, sed eam viuere vitam confidimus, quae sola vita est nominanda, & quae omnem iuuenilis aetatis florem atque alacritatem infinitis modis superat. Simul enim ciuitati Iesu Christi defunctus noster ephebus adscriptus fuit; omnia Seruatoris sanctissimi merita fideliumque beneficia sui fuere iuris facta. At quanta ista sunt, bone Deus, beneficia! Eius, vt vno omnia complectar fasce, eius inquam felicitatis particeps facta fuit liberata ipsius a corporis vinculis anima, quae in caelo apud FILIUM DEI est, & quam ille optimus Saluator tot gloriosissimis, inque DEI laudem atque hominum salutem praeclare gestis promeruit. Qua de re nemo sane dubitabit, qui non ignorat, quanta cum cura *Noster* a teneris educatus fuerit, quam optime adoleuerit, aut potius multos ex aequalibus, tum erectiori ingenii indole, tum vero vitae innocentia superauerit. Commemorabimus iam, breue quidem, at praeclare coeptum

vitae *Eius* stadium, pulcherrimum sane futurum, & B. sui *Parentis*, quod ominabamur, olim merita, si supremus rerum Arbiter maius & longius viuendi spatium *Ipsi* concessisset, aequaturum.

Primam vitalem auram *Noster* hausit anno Seculi huius XXXVI., die quidem XIII. Iunii, nostra in ciuitate, ex casto thoro B. FRANCISCI CAROLI CONRADI, viri post fata immortalis, cum ornatissima matrona, DOROTHEA FRIDERICA, nata LANDGRAFIA, adhucdum superstiti & turbato mortalitatis ordine *Filii carissimi* exuuias efferente, susceptus. Splendidis inclytisque Majoribus e beneficio diuino gaudebat. *Pater* namque *ILLIVS* nobis non modo, vicinisque nostris, verum diffitis etiam in terrarum orbe Eruditis probe notus ac celebratus est, *Vir* scilicet, dum viuebat, *Illustris & Consulissimus*, Dn. FRANCISCVS CAROLVS CONRADI, *Sereniss. Ducis Brunsv. Luneb. Consiliarius aulicus, Iurium Doctor ac Professor*, in hac Academia, *primarius, Ordinis sui Senior & rel.*, cuius merita in nostram Musarum sedem omnemque rem literatam ac solidam eruditionem tamdiu floreunt, quamdiu mortales iustum literis pretium statuere nouerint. *Matrem* vero *Nostri*, modo iam nominatam & adhuc inter nos degentem, scimus omnes, *Illiusque* eximias pietatis & singularis in perferendis aduersae fortunae fati patientiae ac tolerantiae virtutes cominus spectamus. *Auum paternum* habebat CAROLVM SIGISMVNDVM, *Potentissimo Poloniarum Regi & Electori Saxoniae a Consiliis Commissionum, Circulo Variscorum Praefectum*, atque *Inspectorem generalem census earum rerum, quae ad victum & amictum pertinent*; ANNAM autem ELISABETHAM, filiam ZACHARIAE DOERINGII, *I. V. D. Consulis & Syndici Torgauiensis*, hodie adhuc viuentem, morteque optimi sui *Nepotis*, afflictam,
Auiam

Auiam maternam venerabatur. Plures *EIVS* *Maiores paternos* enumerat *Programma*, in obitum optimi sui Parentis, publico Prorektoris & Academiae nomine, conscriptum. *Auus maternus* ipsi obtigerat vir antiqua virtute & probitate, IOHANNES LANDGRAFIVS, solertissimus & in arte sua praestantissimus, *nostrae Academiae & Ciuitatis Pharmacopola*, ante aliquot iam annos pie defunctus. *Auia* autem *materna*, quae adhuc superstes *Nepotem suum* in oculis tulerat, iam eius obitu in grauissimum luctum coniecta est, ANNA MARIA, nata KOCHIA, cui honestissimae, ac senio prope defessae Matronae placidam senectam & diuinum solatium pie precamur.

Parentes de felicissimo partu *Filioli primogeniti*, ex matrimonio per quinquennium liberis carente, procreati, insigniter laetantes, imo exultantes, primam & praecipuam curam in id intendebant, vt recens natus sacro baptismatis lauacro in sodalitiū coetus Christiani cooptaretur. Nomen *ipsi* inditum fuit IOHANNIS PHILIPPI CAROLI in memoriam *utriusque Aui, Proauunculi* itidem, et ipsius B. PARENTIS. Tum in *Eo* fouendo, nutriendo atque educando solliciti & indulgentissimi Parentes, summam adhibuerunt curam, maiorque in dies *Eorum* crescebat cura & sollicitudo, quod nulla amplius prole beati, *Nostrum* habebant *Filium* non modo *primogenitum*, sed & *unicum*.

Igitur, simul ad eam peruenerat aetatem, qua rationis usus se exserere solet, & in tenellis animis prima doctrinarum rudimenta fingi possunt; nullis sumtibus fuit parsum, vt *Puer* tam verae religionis, quam earum etiam artium, quibus imbui solet ea aetas, fundamenta rite poneret. Adhibebantur itaque a prima eius infantia *Praeceptores domestici*, ex eorum, qui literis in Academia nostra

stra operam nauant, numeroſo coetu, cum ab *Eius* B. PARENTE, tum poſt illius mortem a me multa cum circumſpectione ſelecti, qui, id quod laudi iſtis cedit, nulla induſtria pepercerunt, ad rite formandum & bene inſtruendum hunc optimae ſpei Puerum. Honoris cauſſa inter eos nominabo, Virum iam conſultiffimum I. F. L. REVPſCHIVM, felicem & egregium apud Bernburgenſes cauſſarum Patronum, tum FRIDERICVM GRAVERVM, Reu. Miniſterii adhuc, quantum ſcimus, Candidatum, porro HENR. GOTTI. NYſſENIVM & denique IOH. LVD. PAULMANNVM, quorum vterque ſacris apud nos literis adhuc incumbit.

Horum, & aliorum praeterea priuata informatione gauiſus, breui *Noſter* tempore inſignes, in fundamentis religionis, in arte literarum characteres ducendi, in latina Lingua, in ſtudio geographico, genealogico & heraldico faciebat progreſſus. Nec opus erat, vt Praeceptores calcar *Ipsi* adderent, cum viuax *Ilius* ingenium, atque eximius multa ſciendi ac diſcendi ardor, otioſum eſſe *Ipfum* aut torpeſcentem non ſinebant. Hinc quod in aliis fieri pueris communiter aſſolet, vt adhortationibus, comminationibus, quin imo virgis ſaepius ad tractandas literas excitari debeant, id longe aliter euadebat in *Iuvene noſtro*. Cum enim curioſus eſſet interrogator earum rerum, quae ignorabat; variis quaefſtionibus Praeceptores ſuos, quos in aede paterna continuo ſecum habebat, ſubinde exercebat, quo ipſo ſane animum ſuum ſciendi cupidiffimum indicabat, ſimul vero eos, quibus inſtructio *Eius* fuit concedita, accendebat, vt in *Eo* erudiendo non tam deſudarent, quam voluptatem potius exinde caſſerent.

At enim vero placuit diuinae prouidentiae, *Noſtrum*,
in

in prima sua iuuentute, magna afficere calamitate, cuius magnitudinem demum post adultiores annos fuisset expertus, cum aetas *Eius*, qua tum gaudebat, puerilis, insignem istam iacturam animaduertere, & pro meritis diiudicare, haut permitteret. Vix enim aetatis suae annum duodecimum egressus fuerat, quum repentina & praematura morte *indulgentissimus* IPSIVS *Parens* mortaliu oculis subduceretur, adeoque *Illi* benignissimus Nutritor, fidissimus olim ad altiora Studia manuductor, fortunarum suarum promotor, & denique optimus ad dirigendos gressus suos Consiliarius auferretur.

Tantum damnum, quod *Noster*, ex ephebo nondum egressus, fecerat, ego quidem, qui haec scribo, ex parte supplere, ab *Illustri Senatu Academico* & iussus, & simul proprio instinctu, commotus fui ex pietate in defunctum optimum Fautorem, atque Amicum, & ex amore in suos. Curas itaque moestissimae, ex obitu chari Mariti, Viduae, in educando filio & ordinandis rebus, leuaturus, oneri huic me subduxi, cuius vero consilii me nunquam poenituit. Nam optimus *Iuuenis* adeo filiali amore atque obsequio me semper fuit prosecutus, vt nihil supra; quo ipse etiam meum alias tenerimum in *Eum* affectum tam insigniter adauxit, vt nullam praeter miseriam occasionem, vsibus *eius* inuigilandi, & commoda *Ipsius* promouendi. Indefessam autem, me inspectore & direttore, literis impendebat operam, veritatem pariter ac necessitatem consilii abs me dati, pro sua iamiam sagacitate, animaduertens, & iudicans, se, & *Patre* orbatum & opimis etiam fortunae donis destitutum, omnem adhibere operam, necesse habiturum, quo olim doctrina atque eruditione efficiat, vt fixam fortunarum suarum sedem nanciscatur.

Commode tum accidebat, vt, ante semestre, & quod excurrit, spatium, Scholae Senatoriae in hac ciuitate *Rector* praeficeretur, *Cuius & Cognatus meus amicissimus, Clariss. Dn. M. IO. PETRVS MILLERVS*, cuius in formandis Iuuenum animis dexteritatem, fidem, ac perspicuam facilemque docendi methodum a longo iam inde tempore cognoscebam. Huius itaque curae atque institutioni *Nostrum*, (*Meum* potius dixerim,) committere, consultissimum fore iudicabam, *Illumque*, dignum in examine priuato, me praesente, habito, iudicatum, primo Lycei huius ciuitatis ordini inferendum curabam. Et sane omnia ad votum, quin imo supra votum cedebant. Adamabat enim *Praecellentissimus MILLERVS Pupillum meum* ob egregias ingenii sui dotes, ac *Meus* iidem *Rectorem* suum propter summum in sua commoda studium & decoram ipsius ac suaui lenitate temperatam grauitatem redamabat, deueneratur.

Egregium huius rei testimonium proferam ex ipsis *Clarissimi MILLERI* ad me, paulo post mortem *Nostrum*, datis literis, quod ita sonat: „Tantam mihi attulit
 „aegritudinem inopinus de obitu *optimi CONRADI*
 „*mei* nuntius, quantam ante laetitiam ex singulari *Eius*
 „discendi cupiditate, & illa, qua ob ore meo haesit,
 „constantia percepi. Cui rei id magno iam est indicio
 „quod nunquam absens, sed potius ante definitam horam
 „praesens in Schola fuerit. Et quidni amarem eam
 „*Iuuenis* alacritatem, quae, vt maxima in illo erat, ita sic
 „ab omni petulantia & ab eo omni, quod homine ingenuo
 „& christiano minus dignum est, remota erat, vt
 „nullum vmquam vel publicae vel priuatae reprehensionis
 „locum faceret. Et vt verbo dicam, tum facilius iacturam
 „*Eius* laturus essem, si *Eius* quam simillimos haberem
 „plures. Sed iam suae probitatis, diligentiae &
 „pie-


pietatis erga Praeceptores memoria, me reficio, & ipsa „
 cogitatione praemiorum tantorum, quae a me disce- „
 dens reportauit. „ Haec MILLERVS, mihi amicissi- „
 mus, cuius ab omni furo & adulandi studio remotissimus „
 animus certo nobis persuadet, vt optima quaeuis de e- „
 gregia *huius Iuuenis* indole nobis sperare licuisset.

Sed aliter placuit supremo Arbitro humanae vitae.
 Tantas enim de *Nostro* conceptas spes sufflamarunt
 ante biduum variolae, tot Principum palatiis, tot pau-
 perum tuguriis fatales. Iuuat autem, hunc postremum
 vitae, a *Nostro* honeste peractae, actum verbis *Magnifici*
Academiae ProRectoris ac grauissimi Ducalis Aulae Consili-
arii, Dn. PHILIPPI CONRADI FABRICII, cuius in-
 defesso & promptissimo auxilio in hoc lethali morbo vsus
Noster fuerat, breuiter adhuc exponere. En ipsa VIRI
 MAGNIFICI verba: „ Satis prospera valetudine vi vi- „
 debatur B. CONRADI, actiuioris indolis & habitus „
 corporis strictioris ac summae spei Iuuenis, quum „
 ante paucos dies variolae corripere. Ad harum „
 sanationem tertio a primo morbi se magis iam de- „
 clarantis insultu vocatus, quum aegrum de reliquo „
 satis alacrem, sed pulsu duro & ceteri cum subsultibus „
 tendinum ac aestu summo, nec non inquietudine cor- „
 poris continua laborantem offenderem, omnia quidem, „
 ad inflammationem viscerum, quae imminere videba- „
 tur, auertendam, & faciliorem pustularum eruptionem „
 procurandam, alias in eadem constitutione epidemica „
 proficua reperta, adhibui, ac praeter remedia tempe- „
 rantia & diaphoretica fixa ordinata, venae sectionem „
 statim instituendam suasi. Sed vi morbi praeualente „
 speratum effectum hac vice obtinere haud valui, aliqua- „
 li quidem leuamine insequente, variolisque satis con- „
 fertim, vtut minime confluentibus, prodeuntibus, sed „
 bre-

„ breui post iterum subsidentibus, delirioque tam aucto
 „ cum argum conuulsionibus aegrum conpiciente, vt
 „ ille hanc vitam cum meliori commutaret, tristi sui
 „ memoria omnibus Paterni nominis veneratoribus
 „ relicta.

Vitam itaque *praestantissimus* hic *Iuuenis* finiit ante bi-
 duum, die nimirum *VI. huius mensis* Februarii inter horas
 XI. & XII. meridianas, inter preces S. R. Dn. MEHLBAUMIT,
Ecclesiae Helmstadiensis Archidiaconi, ac luctuosum sui de-
 fiderium *optimae* suae *Matri Auiaeque* reliquit. Corpus
ipsum exsanguie hodie sine pompa & comitatu, honeste
 tamen media nocte efferretur, inque aede huius vrbis
 primaria, S. Stephano dicata, inter B. *ipsum* Parentem &
 Magnif. D. D. *Crellium*, in purpura academica defunctum,
 sepeliatur. P.P. in *Academia Iulia Carolina* d. VIII. Febr.

A. C. clō CCLI.




35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hroings, vnyng. 1661.
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Brunfelsi praem. 1663.
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. — An. Marg. Nagleri. 1666.
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.
 41. — — Jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.
 44. Ode in sanitatem. 1678.
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulantis Acad. Juliae prof. 1778.
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.
 47. Festiv. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.
 48. Lat. ac debit. officium ad evadum. 1678.
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsum et — Senram. 1679.
 50. Progr. in Fun. matris Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Fun. An. Syph. Schmerhenniae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.
 56. Abhandlungensatzes abguldung von Veigt.
 57. Progr. in Fun. Homburgii Sels. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Fun. Carolif phil. stud. 1757.
 60. Musurgia Topapii 1757.
 61. — Sichelii. 1758.
 62. — Laur. Heideri. 1758.
 63. De vita Frobenii. 1756.
 64. Gratia panegygr. in diem nat. pini. FridERICI V, davis et
 65. De des principibus. Progr. in christi natal. die. 1759.
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

96
1233

— Nonnulla deunt —

ULB Halle 3
001 920 952







57

PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE
IVLIAE CAROLINAE
FVNVS
NOBILISSIMI ET ORNATISSIMI
IVVENIS

IO. PHILIPPI CAROLI
CONRADI
FRANCISCI CAROLI F.
LITERARVM HVMANIORVM CVLTORIS
MAXIMAE SPEI
PRAEMATVRA MORTE EXTINCTI
A. C. d**1**bccli. d. viii. febrvarii
MEDIA NOCTE SINE POMPA
TVMVLO INFERENDVM

INDICANT
INTERPRETE
FRANCISCO DOMINICO HAEBERLIN
VLMANO
PHILOS. ET IVRIVM DOCTORE
HISTOR. PROF. PVBL. ORD.

HELMSTADII
TYPIS SCHNORRIANIS.

64

